



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

III. De eodem; & quod nullus quasi iure hereditario debet in paterna
ecclesia collocari.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

quæ discretionem præmineant, & morum fulgeant honestate. Nolentes itaque sustinere, ut ad preces vel ad instantiam aliquorum, sicut frequenter solet in vestris partibus fieri, paruulis regimen committatur ecclesiarum: fraternitati vestræ, &c. quatenus nemini infra 14. annum constituto, personatum alicuius ecclesiæ aliquorum gratia vel obtentu concedere præsumatis: scituri pro certo, quod si præcepto nostro in hac parte contraire præsumperitis, quod inde feceritis, auctoritate Dei penitus irritabimus, & inobedientiam vestram grauiter puniemus.

CAP. III. *Idem decano & capitulo Saresberienfi.*

Cum Hugo Bunet in nostra esset constitutus præsentia, &c. *Et infra:* Nos diligentius attendentes, quod pater suus, sicut vterque recognouit, eam habuerit prius, quia perniciosum est exemplo, ut in eadem quasi iure hereditario ei succederet: considerantes etiam, quod cum ei præbenda concedi debuit, illius ætatis erat, quod curam animarum gerere non potuit: memoratum episcopum, vos etiam & ecclesiam vestram ab ipsius impetitione absolui-
mus, & ei perpetuum exinde imponimus silentium.

CAP. IV. *Idem.*

A nobis tua discretio requisitum, utrum is cui ante 15. annum ætatis suæ nondum Concilio quod, nuper Laterani fecimus, celebrato, ecclesiæ magisterium concessum fuit, occasione decreti, quo in Concilio eodem clericis minoris ætatis conferri ecclesias prohibuimus, possit ecclesia spoliari, quam ante Concilium obtinuerat, præsertim cum ipsa concessio fuerit ab ipso diocesano episcopo post Concilium approbata. Super quo consultationi tuæ taliter respondemus, quod nisi alia causa rationabiliter obstet, occasione minoris ætatis aut decreti, quod in Concilio promulgauimus; nolumus eum a percepto ante beneficio remoueri.

Distinct. 31.
Ante trien-
nium.

CAP. V. *Idem* Lexoniensi episcopo.*

Præterea licet aliquis ad personatum parochialis ecclesiæ non debeat, nisi subdiaconus ad minus, admitti vel recipi, dispensatiue tamen in minoribus ordinibus